

05

A

236



U

L
M

J
S
S

P

J



De
MYSTERIO
UNIONIS FIDELIUM
CUM DEO ET CHRISTO,

Ad
ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαίνοντων λόγων,
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
DEO PRÆSIDE,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO JUVENTUTIS PRINCIPE,
DOMINO

FRIDERICO WILHELMO,
MARCH. BRANDENB. &c. ELECTORAT. HEREDE.
SUB MODERAMINE
D O M I N I

JOACH. JUSTI BREITHAUPT,
S.S. Theol. Doct. & Prof. P. Consilarii Eccles.
Semin. Theol. Direct. Præpositi Hillersleb. Venerandæ
Facultatis Theologicæ h.t. Decani, & Academiae
Pro-Rectoris Magnifici,
PRO SUPREMIS IN THEOL. HONORIBUS DOCTORALIBUS
RITE CAPESSENDIS,

die XXIX. Julii MDCXCIX. horis ante- & pomeridianis
disputabit

JO. JUSTUS KISKERUS, S.Th. & Prim.
Phil. in Acad. Hasso-Schaumb. Prof. Ord.

Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI Acad. Typ.




05 A 236

as
in
fi
te
25
fe
fe
pr
fe
A
co
co
vo
L,
U
I.





§. I.



Rduum est, quod molior, negoti-
um, *Magnum illud Unionis, quæ Deum
inter & Fideles est, Mystrium, Eph. V,
30. Coloss. III, 3. mirandum magis,
quàm rimandum, (a) quantum æ-
nigma per speculum intuenti I.
Cor. XIII, 12. licuerit, expositurus.
Abyssus enim est τῆς πλάτης τῆς σοφί-
ας ἢ γνώσεως Θεῶν Rom. XI. & Mare illud Sacrum, quod qui
ingreditur, facile vel in scyllam vel charybdin incidet,
fideique faciet naufragium I. Tim. I, 19. nisi medium
tenuerit æquor, atque ad ῥήματα σωφροσύνης Act. XXVI,
25. attendens, Dei verbum lucernam pedibus & lumen
femitis prospexerit suis Psalm. CXIX, 195. Stat ergò
sententia, in enucleando argumento, quod sentiri quàm
probari, & credi quàm intelligi mavult, non rationem,
sed revelationem Ducem sequi, Paulini illius: ἰδὲν ἐκ τῶς
Act. XXVI, 22. & quod Petri verbis Clemens Alex.
commendat: ἰδὲν ἄτερ γραφῆς λέγομεν (b) identidem re-
cordari, ἰδίᾳ insuper ἐπιλύσει 2. Petr. I, 20. nihil, singula
verò ad ὑποτύπωσιν τῶν ὑγαλλόντων λόγων I. Tim. VI, 3. 2. Tim.
I, 13. & fidei analogiam Rom. XII, 6. interpretari.*

§. II. Est verò Unio fidelium mystica Theologis
Unio illa specialis, ἀκοινωνία illa Sacramentali in S. cœnâ
I. Cor. X, 16. personali in Christo, & Generali omnium

A 2

crea-

(a) Gerhard. Harm. Evang. c. 176. fol. 1324. b.

(b) L. VI. Strom. p. 678.

creaturarum, Act. XVII, 28. distincta, solisq; credentibus propria in regno gratiæ, *μονή* s. Mansio sanctissimæ Trinitatis apud credentes Joh. XIV, 23. *κατοίκησις & ἐνοίκησις* 2. Cor. VI, 16. seu inhabitatio Christi & Spirit. S. in fidelibus Ephes. III, 17. II, 22. Desponsatio fidelium cum Christo Hof. II, 19, 20. Mysticum Christi & Ecclesiæ conjugium Ephes. V, 32. palmitum spiritualium in vitem spiritualem insitio Jo. XV, 4, 5, 6, 7. Membrorum & capitis Christi conjunctio Eph. I, 22, 23. *θείας κοινωνία φύσεως* 2. Petr, I, 4. dicta Scriptoribus *θεοπνεύστοις*.

§. III. Extrema itaq; Unionis hujus Mysticæ sunt Deus & Homo, ita ut ex Deo & Homine inter se unitis unum existat Mysticum, quâ nempe reddimur unus cum Domino Spiritus 1. Cor. VI, 17. 1. Cor. XII, 13.

§. IV. Tantum verò abest, ut Homines in universum omnes, etiam gētiles quâ tales, & impios tantâ dignetur beatitudine sum̄um Numen, ut illos tanquam templa & domicilia sua *inhabitaret*, suæq; naturæ participes reddat, ut potius illos à vitâ Dei abalienatos Eph. IV, 18 hos peccatis à Deo separatos esse Jes. LIX, 2. clara asserat Scripturæ littera. (b)

§. V. Neq; etiam *soli Electi*, sive finaliter credentes, *firmissimâ unione Deo uniuntur tanquam os de Christi ossibus atq; caro de carne ejus.* (c) Sed omnes credentes, ex quâcunque fuerint natione, sine personarum respectu Act.

(a) vid. Quensted. Syst. p. III. p. 626. b. Brochmann. P. II. Syst. de Eccl. c. VI. §. 1. p. 306. in fol Hülsem. Gew. p. 1052. sq. 1059. 1060.

(b) conf. Feuerbornius Tom. V. Marp. Disp. 25. *Κενωσις*. S. II. p. 144. a. Gerhard. Harmon. Evang. p. III. p. 552. Schlüsselb. cat. Hæret. L. VI. p. 90, 91. Dn. D. Spener. Conc. in Joh. I, 20. pag. 346. seqq.

(c) Andr. Rivet. Cath. Orth. Tr. II. q. 2. T. III. Opp. Theol. p. III.

ctū Act. X, 34, 35. XI, 17. coll. Rom. IX, 8. Gal. III, 9. (d) rectè subjectum inhabitationis divinæ dicuntur, quamdiu per fidem fiducialemque Christi ejusque bonorum gratis promissorum cognitionem 2. Petr. I, 1. 3. sanctificati & abluti Ephes. V, 26. ex amore Christi sermonem ejus fervant Joh. XIV, 23. Sponso itidem suo activè adhærent 1. Cor. VI, 16.

§. VI. *Sancti* enim non semper absq; defectione & totali & finali in *Unione Mysticâ* perseverant. (e) Sed sunt, qui gratiam Dei in vacuum recipientes 2. Cor. VI, 1. à pristinâ justitiâ retrorsum se avertunt, Ezech. XVIII, 24. Jes. I, 4. Hebr. III, 12. Christum abnegant 2. Petr. II, 1. inhabitantem gratiæ Spiritum contumeliis afficiunt Hebr. X, 19 templum Dei violant 1. Cor. III, 17. ac in Christo non permanentes Joh. xv, 6. Dei gratiâ Gal. V, 4. *totaliter* excidunt, ita ut nisi Christus de novo in ipsis ad pœnitentiam renovatis formetur Gal. IV, 19. ceu palmites arefacti in ignem conjiciantur. Johan. XV. v. 6. *Electos* verò, *finaliter* quoque unionem Mysticam abrumpere, nec Schlichtingio, nec aliis Socinianis (f) concedimus.

§. VII. Alterum & præcipuum *Mysticæ* unionis Extremum, ejusque simul causa efficiens, (g) est ipse Deus Trinus Joh. XIV, 23 Pater Ephes. I, 17, 22, 23. Filius Joh. XV, 5. & Spir. S. 1. Cor. VI, 19. Qui templum sibi inhabitandum exstructuri Eph. II, 22. mansionemque non inventam paraturi Joh. XIV, 23. ex gratiâ merè gratuitâ Ephes. II, 8. Rom. XI, 6. nullò autem debitò v. 35. donant Phil. I, 29. & clementissimè operantur in nobis Phil. II, 13. unicum illud ex parte nostri medium

A 3

ληπι-

(d) vid. Gerh. com. in 2. Petr. I, 4. (e) Spanh. jun. Disp. Inaug. §. 54.

(f) vid. Schertz. Colleg. Anti-Socin. D. 85. f. 696. seqq.

(g) Contr. Petavii err. Tom. II. Dogm. Theol. p. 839.

ληπτικόν, Fidem, & hâc mediante Ephes. III, 17. communionem Mysticam, per media *δοτικὰ* ordinariè adhibita, verbum Joh. XIV, 23. & Sacramenta Ephes. V, 26. 1. Cor. X, 16, 17. ex seriâ Ezech. XXXIII, 11. Dei intentione 2. Petr. III, 9. semper efficacia Rom. I, 16.

§. VIII. Neq; ipsam carnem seu Humanam Christi Naturam, in hypostasin τῆ λόγος receptam, à Mysticâ hâc ἐνοικήσει excludere licet, nisi foedere inseparabili & nexu divinissimo copulata segregare, in Nestorii casses incidere, & totam Christologiam convellere velimus. Christus enim cum Patre gratiosam sibi mansionem parat, secundum eam quoq; Naturam ad fideles venturus Joh. XIV, 23. secundum quam discipulis fuerat conspicuus v. 19. ossa habet Eph. V, 30. & cruci est affixus Gal. II, 20. Ponamus, quod tamen illud Joh. VI, 56. aliaque Dicta satis emphatica concedere non permittunt, nusquam *αὐτολεξει* in Sacris litteris legi, substantiam carnis Christi cum fidelibus conglutinari: sufficit, agglutinari verè credentes *Domino*, 1. Cor. VI, 17. cui juxta humanam itidem naturam Ecclesiæ competit dominium Matth. XXVIII, 18. Eph. I, 22. Christus sane adeoq; totus *θεάνθρωπος* (a) nobiscum Matth. XVIII, 20. XXVIII, 20. imò in nobis, corporis sui membris Ephes. V, 30. est 2. Cor, XIII, 5. habitat Eph. III, 17. ac vivit Gal. II, 20. Quæ tantisper vera manent, donec contrariam opinionem tenentes inconcussum hæctenus Menzeri (b) axioma labefactent: *Ubicunq; de existentia & gratiosa presentiâ Christi sermo est in Scripturis, ibi exceptio [quòd nonnunquam de Christo aliquid enuncietur, de solâ vel Deitate ejus vel humanitate intelligendum] locum invenire non potest.*

§. IX.

(a) Menz. T. V. Disp. VI. Giess. §. 28. p. 156. (b) l. c.

§. IX. His ita conclusis, de modô & formâ unionis Mysticæ, acrior & subtilior se offert disceptatio & dissensio, quæ tanta est, ut molestum sit singulorum annumerare sententias (a) Unde tutissimum omninò esset, vel ἐπέχειν cum B. Gerharo (b) vel retinere solas Scripturæ phrasas, atque dicere, Sacrosanctam Trinitatem facere mansionem apud fideles Joh. XIV, 22. Christum habitare in cordibus nostris Ephes. III, 17. &c. ita enim multæ lites amputari possent, ceu rectè ac piè judicat magni quidam nominis Theologus. Ecquæ necessitas? ἀρρητον *Mysterii* modum determinare, in quem curiosius cum Nicodemo inquirere temeritatis, ignorare verò pererudita est inscitia. Interim tamen, cum eò usque progrediantur Theologi, ut quærant: an Unio Mystica præter peculiarem operationem dicat etiam Substantiæ Dei & Christi ad substantiam hominis novam approximationem? non possum, etiam velim, quæstionem relinquere hanc intactam.

§. X. Paucis itaque, absq; omni discordantium insectatione, adeoq; optimâ singulorum pace, id quod sentio, dicam apertius. Et quidem, ut inter scyllam & charybdin h. e. inter Excessum & defectum, in medio tutissimus eam, atq; discordantia Nostratium vota quasi colligam in unum, non vereor dicere, nec dubito confirmare: *Præsentiam Dei gratiosam, partim specialem & arctiorem Dei in Sanctis, tanquam in templis suis, inhabitationem, partim benignam apud ipsos operatione complecti* (c). Idque verus & realis S.S. Trinitatis adventus Joh. XIV, 23. 26.

(a) Vid. Quenst. Syst. p. II. c. X. S. II. p. 625, 626.

(b) In Exegesi Tom. I. Loco de Natura & attributis Divinis, §. 188.

(c) Decis. Solid. Sax. p. 5. 10.

23. 26. XV, 20. *Inhabitatio* Joh. XIV, 23. I. Cor III, 16. c. VI, 19. 2. Cor. VI, 16. *Unio* Joh. XVII, 21. 25. I. Cor. XVI, 17. *divinæ naturæ communicatio* 2. Petr. I, 4. *Spiritus Sancti donatio* I. Joh IV, 13. & *communicatio* Joh. XX, 22. aliaque evincunt. Omnis enim *Adventus*, verus & realis, propriè & formaliter propiorem junctionem cum altero; *habitatio* substantialem habitatoris ab habitaculo indistantiam involvit, (a) quem significatum τὸ κατοικεῖν, etiamsi ad alia transferatur, non amittit Matth. XII, 45. Rom. VII, 20. Col. II, 9.

§. XI. Illa itaque, quæ propriè & ῥητῶς intelligi possunt, impropriè & μεταφορικῶς interpretari, verbaque Scripturæ ὑπαρκτικὰ in merè ἐνεργητικὰ convertere, non licet citra manifestam necessitatem (b). Tantum verò abest, ut heic à litterâ discere ulla nos cogat necessitas, ut potiùs eam deserere præsentissimam involvat absurditatem. Admissò enim, e. g. τὸ inhabitare idem esse, quod operari, jam non amplius cælum, sed terra, in quam operantur, solis & lunæ erit domicilium; quin imò totum cælum, quoties suam telluri virtutem influendo communicat, in terrâ habitabit (c).

§. XII. Sed in ipsam immensitatem & omnipræsentiam divinam injuriam putant, si Deum per novam approximationem credentibus uniri credamus. Ita quidem argutatur ratio, cujus verò ἀσυλλογιστίαν ostendit revelatio. Profectò nec Spir. S. omnipræsens, nec Divina λόγος natura desit esse immensa, utut hæc σωματικῶς carnem inhabitet Coloss. II, 9. is verò peculiari præsentia genere visibili columbæ fuerit unitus Matt. III, 16.

(a) Calov. Tom. X. Syst. p. 512. seqq. Dn. D. Alberti Disp. de Modo Adv. Christi, §. 18.

(b) Frantz. de Interpr. (c) Quenst. Syst. p. III. p. 625. seq.

III, 16. ut taceam, quæ de infinito numine in formâ visibili ad homines veniente & recedente; de majori & arctiori propinquitate Dei apud Cœlites, quàm Dam-natos; de Christo fideles, extra & ante S. cœnæ u-sum jam inhabitatos, in ipso usu denuò & firmiter sibi uniente, disputari hanc in rem assolent. [a]

§. XIII. Largiuntur *οἱ ἐξ ἐναντίας*, ut ex seipsis exem-plum capiant, animam humanam, salvâ præsentia suâ universali, quâ tota in toto & qualibet corporis parte esse dicitur, multò arctius cordi vel cerebro, quam reli-quis membris adesse. Quidni ergò Deum Spiritum il-lum infinitum, illæsâ omnipræsentia, piis quàm impiis propius adesse posse crederem? Quòd verò mortali-um nemo alteri propior vel remotior fieri potest ci-tra mutationem loci & *ἀδιασίας*, proprietas quidem, sed simul imperfectio est humana. [b]

§. XIV. Ad incarnationis Mysterium redeo. Non-ne *ὁ λόγος*, quoad intimam substantiæ suæ præsentiam, & carni personaliter sibi unitæ, & reliquis creaturis, personali *ἐνώσει* sibi non unitis, simul adest, citra muta-tionem *ἀδιασίας*? Propius tamen carni, quàm crea-turis. Unde patet, diversam vinculi unionis, quo essen-tia essentiæ jungitur, dari posse rationem, quamvis ea-dem; maneât loci & indistantiæ conditio, nec ipsa Dei *subjectivè* spectata præsentia simul multiplicetur, dupli-cetur vel triplicetur.

§. XV. Ex hisce omnibus uti rectè colligimus: ni-hil repugnare, neque mutuò se tollere, immensum esse

(a) ap. Gerhard. Exeg. Loc. II. §. 188. p. 295. a. Feuerborn. *Κενωσ.*

S. VII. c. III. p. 33. seqq. Scherz. in Brev. Hülsem. p. 145. seqq.

(b) Alberti l. cit.

esse & novam approximandi rationem admittere, adeoque verissimam, præsentissimam & arctissimam esse unionem nostri cum Deo; *Essentialem* tamen, transmutativam & conversivam, quâ essentia nostra in Essentiam Dei & Christi immutetur, perinde ac Mosis baculus in Serpentem, Exod. VII, 15. & substantia aquæ in vinum Joh. II, 9. convertebatur; vel *personalem*, quâ Dei & fidelium Substantia in unam personam coalescat; vel *transfusivam*, quâ essentia Divina in pios transfundatur, ita ut pars ejus pars ipsorum fiat, minimè statuimus. Nam pii ab impiis regenerationis qualitate differunt quidem, non autem essentiam humanam exsuunt. Quid? quòd Trinitatem totamq; Unionem mysticam peccatis excutere possumus: suam verò essentiam seu naturam, quâ talem, homines vel inviti retinent, in omnia seculorum secula.

§. XVI. Sed nec nudè moralis esse potest Unio fidelium Mystica, qualis etiam cum absentibus intercedit, atq; vel solâ affectuum harmoniâ, beneplacito atque favore, vel donorum participatione absolvitur. Ecquis enim Mysterium, & magnum quidem, interpretatur, animum Jonathani Davidi adhæsisse, I. Sam. XVIII, 1. & multitudinem credentium adeò consensisse Act. IV, 32. ut unum eorum animum idemq; cor fuisse, ipse testetur *καρδιογνώσις*. At verò Mystica communio eminens ac *μέγα μυστήριον* Ephes. V, 32. quò ultra discipulorum captum evenit, ut Christus in fidelibus, & hi in Christo maneant Joh. VI, 56. ubi verò, amore mutuò se complexi, manere in se invicem leguntur? Dein minimè sola affectuum unio, sed extremorum præcipuè *ἀδιασία* & arctior quædam copula facit, ut duo sint in carne una consummati conjuges. Idem de cõunionis mysticæ

mysticæ mysterio, amoris illô conjugalis ἀντί-τύπω habendum esse ex I. Corinth. VI, 16. seqq. Ephes. V, 30. seqq. comparet. (a)

§. XVII. Sed de forma & modô Unionis Mysticæ satis ac super. Ad ipsam potius κοινωνίαν seu *communio-
nem*, dulcissimum Unionis consequens & fructum, deveniamus. Quemadmodum enim ex omni verâ & propriè dictâ naturarum Unione κοινωνία eidem correspondens, ita quoque ex hac Mysticâ & spirituali Unione inter Deum & Fideles, Mystica & Spiritua-
lis κοινωνία seu mutua communicatio exoritur; quæ certâ ratione cum Unione *personali* duarum Natura-
rum in Christo conferri potest, atque ad hujus ἀναλο-
γίαν in ἰδιοποιίαν, μεταποιίαν & κοίνοποιίαν, seu idiomaticam, axiomaticam & apotelesmaticam, distingui so-
let à Theologis passim (a). Summatim rem comple-
ctitur *Meisnerus* in oratione panegyrica de Christiano:
*Ulti Humana & Divina Natura in Christo capite uniuntur per-
sonaliter: ita in Christianis membris uniuntur spiritualiter:
Ut ibi assumpta caro subsistit in λόγῳ per participationem ὑπο-
στάσεως; ita hic nostra natura subsistit in Christo, per consor-
tium gratiæ & Θεϊκῆς Φύσεως. Ut ibi ex duabus naturis fit una
persona σύνθετος; ita hic fit unum Compositum Mysticum, da-
turq; ἀρῆτα & mutua in naturas περιχώρησις, vel circuminces-
sio, uti Galatinus vertit, siquidem ita Christus est in Christia-
no, & Christianus in Christo, ut semper copulati maneant, nec
Christianus sine Christo vel cogitari saltem ad temporis mo-
mentum*

B 2

mentum

(a) Scherzer. Brev. Hülsem. Spener. Conc. in Joh. I. v. 20. Dorschæi
Dissert. 2. Auct. ad Pentad. p. 289. seqq.

(a) Gerh. in Exeg. Tom. I. LL. art. 4. §. 129. 200. 281. 292. in Harm.
Evang. cap. 176. p. 1323. Dorsch. in Pentadec. Auct. Diss. 2. §. 19.
p. 597. Olear. Handbuch P. I. Art. CXVI. p. 1407. edit. nov.

*mentum valeat, sed ubi Christianus existit, ibi Christus coexistit: Christiano viso, Christus in ipso aspicitur: Christiano loquente, Christus loquitur, patiente patitur, operante operatur. Sicut enim anima vivificat, movet, vegetat, ut totum reddatur animatum; ita Christus per suam ἐνωσιν & inhabitationem gratiosam sic animat movetq; Christianum, ut totus fiat Spiritua-
lis & nova plane Creatura.*

§. XVIII. Interim notandum & cavendum probè, ne omnimodam hîc similitudinem & identitatem inter communionem personalem & Mysticam, atque inde fluentes propositiones communicativas statuamus. (a) Etsi enim Deus omnes bonitatis suæ diviti-
as largiter in illos effundit, quos naturæ suæ *νοινωσία* non est dedignatus; speciatim Goël noster suam passionem, Phil. III, 10. mortem Gal. II, 19. Col. II, 10. resurrectionem Col. II, 1. Eph. II, 6. Spirit. S. Rom. III, 10. vitam Gal. II, 20. jus filiale & hæreditarium Joh. I, 12. Gal. IV, 7. jus regni Apoc. V, 10. Cap. XX, 4. jus Sacerdotii 1. Petr. II, 9. Apocal. V, 10. Gloriam suam Rom. VIII, 17. Joh. XVII, 24. Gaudium æternum 1. Petr. IV, 12. gratiosè nobiscum & efficaciter communicat; vicissimque suis obvenientia membris *χρητικῶς* ac per *οι-
κείωσιν*, non essentialem verò nec personalem, sibi appropriat Matth. XXV, 35. seqq. Actor. IX, 4. Nah. I, 2. mala illata vindicaturus Zach. II, 8. Jes. LXIII, 9. Luc. X, 16. bona autem exhibita clementer remuneraturus Matth. X, 40. Johan. XIII, 20. (b); Sobriè ta-
men

(a) Chemn. de duab. Nat. in Christo C. VII. Meisner. Phil. Sobr. p. I. Sect. III. p. 985. Shomer. Diss. de differ. Unionis Personalis & Mysticæ.

(b) König. Theol. Pos. p. 213. Quensted. Syst. P. II. c. X. p. 922. Gerh. Exeg. L. IV. §. 200 p. 483. a.

men, piè, & non nisi cum timore & tremore loqui debemus de tantis Mysteriis Divinis, & cum curâ attendendum ad ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαίνόντων λόγων 1. Timoth. VI, 3. Timoth. I, 13. & locutiones Propheticas 2. Petr. I, 19. ne τοῖς λογίοις θεῶ 1. Pet. IV, 2. λόγος τῶν πεφυσιωμένων 1. Cor. IV, 19. βεβήλας κενοφωρίας 1. Tim. II, 16. ἐπέρογκα τῆς ματαιότητος 2. Petr. II, 18. quibus ψυχὰς ἀσηκίτες ib. v. 14. καὶ καρδίας τῶν ἀκάνων inescant Pseudoprophetæ Matth. VII, 15. temerè substitua-
mus. Memores, Paulum per Christi nomen obtestari Corinthios, ut idem non loquantur minùs atque sentiant 1. Cor. I, 10.

§. XIX. Quanquam nec λογομαχεῖν 2. Tim. II, 14. φιλόνηκον esse, & voculas præter necessitatem aucupari nos deceat. Hujusmodi enim consuetudinem viva Ecclesiæ membra non imitantur 1. Cor. XI, 16. Quin potius, ut unitatem Spiritus per vinculum pacis fervent Ephes. IV. v. 3. *multa in viris Orthodoxis commodè interpretantur atque a calumniâ adversariorum vindicant pro officio charitatis, quæ nihil mali suspicatur* 1. Corinth. XIII, 5. (a)

§. XX. Rectè ergò excusatur, & contra Conradum Velteram in Colloq. Ratisb. aliorumque Pontificiorum insulsos insultus defenditur B. Lutherus, quando verbis verè heroicis ingenti Fidei πληροφορέια scribit Tom. 6. Alt. Germ. Comment. ad Gal. II. p. 625. (a) Per Fidem ita uniri hominem Christo, ut una quasi cum Christo persona fiat, & dicere possit: Ego sum Christus.

B 3

stus.

(a) B. D. Shomer. de Differ. Un. Perf. & Myst.

(a) Alii jam Tom. I. Witteb. Germ. f. 95. jam Tom. 4. lat. f. 55. jam Tom. I. Wittenb. p. 69. jam Tom. 5. Witteb. lat. anno 1554. edit. operâ M. Rorarii, allegant.

Itus Verba Germanicè ita habent: Darum solle man vom Glauben recht lehren/nemlich also/dasß du durch denselben mit Christo also verbunden und vereiniget werdest/dasß aus dir und ihme gleich als eine Person werde/welche sich von einander gar nicht scheiden noch trennen lassen/sondern Christo immerdar anhangen/und mit aller Freudigkeit getrost sagen möge: Ich bin Christus/nicht persönlich/sondern Christi gerechtigkeit/Sieg/Leben/und alles was er hat/ist mein eigen: und Christus widerum auch sage: Ich bin dieser arme Sünder/das ist/alle seine Sünde und Tod sind meine Sünde und mein Tod/sintemal er durch den Glauben an mir hanget/und ich an ihm/ja lebe in ihm. Etenim, quas addit vir divinus cautelas, mentem Lutheri orthodoxam aperte satis indicant: non unam, sed quasi unã, neq; essentialiter, sed appropriativè unã quasi personã constitui ex Christo & Fideli. (b) Si ergo Augustini verba tr. XXI. in Joh. *Christus facti sumus*; per alia Tr. XC. in Joh. *per hoc cum in nobis sunt Pater & Filius vel etiam Spir. S. non debemus putare, naturã unius esse nobiscum: Sic itaque sunt in nobis, vel nos in illis, ut illi unum sint in naturã suã, nos in nostrã, excusamus & explicamus: cur illa Lutheri debito modo explicata & limitata quonquam offenderent? Ceterum securius & durius nonnunquam suo tempore locutum fuisse B. Patrem non diffitemur, Haut dubie tamen ab istiusmodi locutionibus, qualis etiam est altera illa: (c) Dasß sie alle eines und eitel eines seyn / in uns*

[b] vid. Relat. Colloqu. Ratisb. Heilbrunn. edit. p. 93. D. Philipp. Heilbrunneri unschuldig. Luther. p. 26. Dn. D. Spener. Conc. in Joh. I, 20. eiusd. Erklärung des Verstandes &c. Schomer. l. c.

(c) Tom. 6. Altenb. p. 254.

uns benden/ia so gar ein Kuche &c. Abstinuisset, si prævidisset fore ut nonnulli tam acerbè perverterent, vel tam absurde sentirent, dictisq; suis abuterentur, ceu B. Gerhardus judicat (d). Si enim frigida nonneminis obrectationi: *Meynet er dann / daß sie sich gezancket oder geschlagen haben* [cùm plurimam salutem redivi- vi Christi ad discipulos Luc XXIV, 36. (e) convertisset: *habet Friede*] locum statim relinquebat, calamumque mutabat cælo dignus Germanorum Apostolus, quid non fecisset in dictionibus majoris momenti? Idem de similibus patrum loquendi formulis esto iudicium.

§. XXI. Sed hæc, & alia huc forte pertinentia, prolixius nunc disputare, nec temporis nec instituti ratio permittit, cùm non integram Dissertationem, sed Theses saltem aliquot dare constitutum nobis fuerit ab initio. Quæ itaque restant, vel publico conflictui vel alii occasione reservamus.

§. XXII. Quomodo vero ad *ἐπανάθεσιν & παιδείαν* conducat, quantaq; solatiorum *flumina* ex Unione my- stica, tanquam Sacro quodam oceano, ad illos dima- nent, qui sunt in *κοινωνία τῶν τῆ χειρῶ παθημάτων* Phil. III, 10. 2. Cor. I. &c. prolixius ostenderem, si orationis uber- tatem sectari liceret, & nisi longè testatiora essent hæc omnia, quàm quæ in Disputationem vocari debeant.

§. XXIII. Fontes saltem indicabo. Christianum, in- quit Meisnerus, cum dico, vulgari hoc nomine rem di- co minimè vulgarem, sed dico Dei filium, Christi fra- trem, cœli hæredem, Divinæ naturæ consortem, An- gelorum socium, & verè *ισάγγελον*; Dico mundi victo- rem, Dominum, Prophetam, Principem, Regem, impe- ratorem; dico hominem omnium beatissimum in va- riis miseriis; omnium sanctissimum in mediis peccatis;

omni-

(d) Diss. de Flacian. §. 74. (e) Erasmi Schmid, in h. l.

omnium fortissimum in mediis infirmitatibus; omnium ditissimum in maximis inopiis; omnium lætissimum in perpetuis lacrymis; omnium gloriosissimum in continuis ignominiiis; omnium sanissimum in omnigeneribus morbis; omnium vivacissimum in morte, & denique post mortem ipsam. Quicquid in universo Mundi latifundio post Deum immortalem admirandum, quicquid gloriosum & magnum, & pulchrum, & laudabile, & delectabile occurrit, id omne, quale & quantum est, vel cogitari potest, unum Christiani vocabulum exhaurit. Hoc cœlum & terram, hoc Deum & homines, hoc Christum & fideles connectit; ideoque Christianus in Christo radicatus, licet nihil habeat, nihilque sit, habet tamen & est omnia, in omnibus, supra omnia.

§. XXIV. Quæ omnia cùm majora sint, quam ut *πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις* I. Cor. II, 4. exprimi, aut capi à nobis possint, genua hic ad extremum flecto coram Deo Patre Domini nostri Jesu Christi, ut det nobis divitias gloriæ suæ, ut virtute confortemur per Spiritum ejus, quoad interiorem hominem, & habitet Christus per fidem in cordibus nostris, ut in charitate Domini radicemur, & fundemur, ut possimus comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, profunditas & altitudo, & cognoscamus superabundantem cognitionis dilectionem Christi, & impleamur ad omnem plenitudinem Dei. Ei verò qui cumulatè facere potest super omnia, quam nos quidem intelligimus & rogamus,

Αὐτῷ ἡ δόξα ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, εἰς πᾶσας τὰς γενεάς, τῶν αἰώνων τῶν αἰώνων, Ἀμήν!



i.
i-
n
o.
n
n
l.
l.
;
i-
c
;
il
i-

n
i,
-
t
r
-
-
s
-
9
x
ö
s

05 A 236

ULB Halle 3
004 206 592




WMA

61







De
MYSTERIO
NIS FIDELIUM
DEO ET CHRISTO,
 Ad
 ἰσχυρῶς τῶν ὑγιαίνοντων λόγων,
 ACADEMIA FRIDERICIANA
 DEO PRÆSIDE,
 RE MAGNIFICENTISSIMO
 SIMO JUVENTUTIS PRINCIPE,
 DOMINO
RICO WILHELMO,
 NDENB. &c. ELECTORAT. HEREDE.
 SUB MODERAMINE
 DOMINI
JUSTI BREITHAUPT,
 Doct. & Prof. P. Consilarii Eccles.
 Direct. Præpositi Hillersleb. Venerandæ
 Theologicæ h.t. Decani, & Academiae
 Pro-Rectoris Magnifici,
 IN THEOL. HONORIBUS DOCTORALIBUS
 RITE CAPESSENDIS,
 die 11^{ta} M DC XCIIX. horis ante- & pomeridianis
 disputabit
JOHANNES KISKERUS, S. Th. & Prim.
 Acad. Hasso-Schaumb. Prof. Ord.

STORPH ANDREAE ZEITLERI Acad. T...

